

25

FELICITER!  
DE  
A U R O R A,

Incluto  
Senatu Philosophico  
suffragante,  
P R Æ S I D E  
*Excellentissimo atq; Clarissimo*  
M. VALENTINO ALBERTI,

Dial. & Metaphys. P. P. Facult. Philos. Assessor.  
Collegii B. M. V. Collegiato,

*Studiorum suorum*  
Epoptâ maximi æstimando,

H. Lq; S.  
*ad diem V. Septembr.*

D.  
CHRISTOPHORUS Heinrich Starck/  
Luneburgâ-Saxo,  
*Alumnus Electoralis,*  
Autor-Respondens.

---

L I P S I Æ,  
Literis JOHANNIS ERICI HAHNII.  
Anno M. DC. LXIII.

Physica.

456,85

Illustribus  
Reipublicæ  
LUNEBURGENSIS  
Patriæ  
COSS. ac SENATO-  
RIBUS,  
Mecœnatibus  
Summis

*Hanc*  
Studiorum suorum  
Auroram

*in*  
dicatissimi obsequi  
tesseram

*ad paternos jussus*

D. D. D.

*ETEOUOS*

Christophorus Heinrich Starck /  
Luneburgâ-Saxo, Alumnus Electoralis,  
Autor - Respondens.

Sächsische  
Landesbibliothek  
Dresden



⊖. ⊖. ⊖.

πρόσωπον!



Urgere ante lucem, SOL ISTE QUI ERAT Philosophorum Aristoteles jubet in *Oeconomicis* Lib. I. c. 6. Τῆτο γὰρ, inquit, καὶ πρὸς ὑγίειαν καὶ οἰκοομίαν καὶ φιλοσοφίαν χρήσιμον. Ultimò autem, juxta verborum ordinem, secundum dignitatem primò consistunt locò Philosophiæ studia, ad quæ *Aurora* nos excitare debet. Reliqua enim, quæ manè confeceris, circa meridiem aut vesperam perire possunt; hæc verò, uti est apud *Plinium Epist. lib. I. 3.* si semel tua feceris, æternùm erunt. Proindè ego quoque Musis meis indies faventi *Auroræ* hanc gratiam habere volui, debui, ejus ut non minùs umbram inhabitare, quam rudi penicillo ipsius purpuream depingere faciem, decreverim. *Aurora* diei initium est & lucem magis effingere quàm attingere valet: Hæc etiam studiorum meorum ἀκροθίνια, & quasi *Aurora* sunt, quibus si non perfectis, tamen ab ingenio profectis, quod discendi cupidum est, Lector benevolus favebit. Sit itaque

*Quod DEUS benè vertat!*

τὸ τί ἦν εἶναι.

*Aurora* est prima pars diei, quâ ob lumen solis ab exhalatione refractum lux dubia cernitur in Oriente, in diei augmentum & ornamentum Universi.

Διάθεσις

I.

Συλλήβδην.

1. *Aurora* & Etymologia Latina quadruplex. §. 2. *Græca*

A 2

una.

una. §. 3. Una Arabica. §. 4. Græca cum Scaligeris & Vossio à nobis probata. §. 5. Homonymia. Dux meteorologica acceptiones rejectæ. Nostra declarata. Biblicæ Metaphoræ notatæ. Pontificia improbata. §. 6. Synonyma, unum Hebræum, Græcum, tria Latina explicata. Crepusculum eorum numero exemptum. §. 7. Epitheta tam Græca quàm Latina delibata. §. 8. Definitionis resolutio.

II.

Ἐπιπλεον.

- §. 1. Ἀέρις διοριζομένη est Aurora, de cujus origine primigenia adhuc οἱ ἐτυμολογοῦντες ἀμφισβητοῦσι. Quidam eorum pro merè Latina agnoscunt, & vel ab aureo colore uti Varro Lib. VI. de LL. quasi aurea hora; vel ab aura sive ventulo, qui matutino tempore spirat; vel ab auro & rosa, siquidem Græcis ῥοδοδάκτυλος dicta, apud Fungerum in Etymolog. p. 102. vel ab aura & rore, quasi aura rorans juxta Cornel. à Lapide Commentar. in Proverb. Salom. c. 4. n. 18. auroram deducunt. Nonnulli in Græcia natales ejus quæerunt. J. C. Scaliger Exercitat. LXXVIII. p. 293. sic de ea: Aurora est tota Græca vox, cujus postrema pars adhuc in usu est, Græcis ipsis ἄρα; prior enim nobis tantum Aurum: illis non nisi in composito ἠσάυρος. Et Exercitat. CCCXXV. n. XII. p. m. 1041. Aureus color à Græco vocabulo quod desitum est. Unde Aurora. Compositum remansit ἠσάυρος, quod & alibi dictum est. Et de Causis LL. Cap. XCI. p. 207. Metallo & praviæ diei parti fulgoris nomen inditum est, græcâ voce ἄρον. Prisca enim est quod testatur ἄυρον scil. sequens manè, quod & Germani imitati sunt (Morgenröthe) & Hispani & Itali. Sequitur eum Filius in Conjectan. Quidam ex fontibus Orientalibus eam derivant. Ita Cornel. à Lapide Comment. in Proverb. Salom. c. 4. n. 18. Arabes Luciferum vocant Azohora à splendore & pulchritudine. Radix enim 𐤀𐤏𐤃 Hebraicè, Chaldaicè, & Arabicè significat splendere, effulgere, clarescere; Et forte ab Azohora Latini acceperunt nomen Aurora. Nos probamus Originem Græcâ ex Scaligeris ante allegatâ, reliquas pro allusionibus potius & Analogicis quàm Etymologicis derivationib. habentes. Hora enim Græciâ tota sapit. Aurû verò à prisca Græcorû voce notâte fulgorè vel ἄρον vel ἄρα. Ab alterutra enim, inquit Vossius in Lexic. Etymol. p. 57. sub voce Aurum, est

est

est ἀγχαυρον, quò diluculum significatur; ὅθεν τὸ ἀγχῆ ἢ πλῆσιον ἔχει τὸ αὐρὴν ἢ αὐρόν. Ubi αὐρα non ventus levior intelligi debet (etsi id senserit Suidas, qui pro sententia sua affert isthoc Homeri Hemistichium αὐρη δε ψυχρὴ πνεύει ἠὼθι. ποῖ) sed aura ibi notat splendorem: ut dicatur ἀγχαυρον, quia cælum tunc aurei & rutili sit coloris. A quâ τῆς αὐρας notionem etiam αὐροῖον venit, hoc est cras, quasi simul ac sol denuò cælum aureo fulgore suo cæperit lustrare. Similiter igitur Aurora quasi τῆς αὐρας ὥρεε aura sive splendoris tempus. Ego verò hic ἐτυμολογεῖν detino, ὅπως μὴ τὰ πάρεργα τῶν ἔργων πλείω γίγνηται. Arist. 1. Eth. 7.

Accipitur autem Aurora nonnunquam pro eò lumine tantum, §. 5. quod in nube matutino tempore refractum hæret, meteorumque est, & rubedo matutina accuratiùs dicitur. Aliquandò etiam Meteorum quoddam nocturnum septentrionale, à lumine *Aurora* & à loco *Borea* dicitur, de quâ infra *Scemmate V.* Neuter sensus ad nos hoc loco. Nobis est *Aurora*, uti eam describit *Speusippus in def. Plat. diei principium & primum Solis lumen.* In sacro Codice ad diversas res ob similitudinem suam applicatur, Usurpatur enim vel ad celeritatem facti, *Joël. II. 2.* vel ad principium regni, *Hose. X. 15. mali. Esa. 47. 11.* ætatis humanæ seu pueritiæ, *Proverb. 13. 25.* denotandum. Crucem autem potissimum figit Interpretibus *Lucifer filius Auroræ* apud *Esaïam c. 14. 12.* quibusdam *Christum*, nonnullis *Antichristum*, aliquibus etiã ipsum *Satanam*, paucis regem *Babylonis* intelligentibus. Vid. *Tarnov. exercit. Bibl. ad h. l. Franz. de Interpretat. Script. p. 900. Gerhardus Tom. 9. Loc. p. 272.* Optimè verò cum hæ *Spiritus S.* allegoriæ se habeant, tum verò ineptissimè apud *Cornel. à Lap. Comment. in Cant. c. 6.* conjugati castè viventes, fulgent ut *Aurora*, viduæ & continentes pulchrescunt ut *Luna*, virgines radiant ut *Sol.* Hebraicè quomodo vocetur & cur, vide §. 6. apud *B. Dorscheum Pentadecade Dissertat. Theolog. v. 20.* Græcis dicitur ἠώς ab αὐω quasi αὐως tam in soluta quàm in ligata oratione. Indè Latinis *Eos & Eous.* His verò in Carmine *Matuta* (apud *Lucret. Lib. V. v. 660.*

*Tempore item certo roseam Matuta per oras  
Ætheris auroram defert, & lumina pandit. )*

A manè quasi *Manula* n. in t. abeunte apud *Scalig. in lib. I. Theoph. de caus. plant. c. 19.* Ipsum mane ap. *Pers. Sat. 3. v. 1.*

— — *jam clarum mane fenestras*

*Intrat.*

A manus i. e. bonus, vel clarus seu lucidus juxta *Non. cap. I.* Vocatur etiam *Diluculum*, quia Sole nondum orto jam lucet, diesque dilucere incipit. *Crepusculum* (quod secundum *Varronem Lib. V. de LL.* à Sabinorum Crepusculis, quòd eò tempore erant nati, ut *Lucii* prima luce in creatione; vel à voce *creperus*, quod dubium notat, & juxta *Scalig. Exercit. LXXVIII. de Subtilit.* à Græco *κρηπυρός*; vel secundum *Vossium Lex. Etymol. p. 163.* tanquam diminutivum à *crepus* descendit) *Aurora* æquipollere censet *Servius ad II. Æneid.* *Rectius* autem *Censorinus* extremo libello de die natali, interprete usu vocabulorum *Tyranno*, de creperæ vespere luce vocabulum hoc tantum intelligit. Licet enim secundum Originem suam (si à *creperus* esset) utriusque luci dubiæ applicari possit; usus tamen, uti passim consuevit, vocabula à fonte suo aliò flectere, nativamque significationem usuali arctiorem reddere potest. Imò quod significatio in aliis derivatis occasum magis quam ortum respiciat. Eleganter *Lucretius Placid. ad v. 340. lib. I. Thebaid. Papin. Crepusculum*, ait, dicitur, quod inter finem diei est & exordium noctis, undè & decrepiti senes dicuntur, jam propè occasum salutis & initium mortis. Et juxta *Vossium l. c. crepusculum* à *crepus*, hoc autem vel græcâ origine juxta *Scalig. Filium* à *κρηφ* tenebræ, vel juxta *Vossium* à *νέφ* nubes, vel Hebraicè secundum eundem ab *כרע*, *עספרא*. Ubiq; verò, præfertim in duabus ultimis derivationibus, hos suos natales *crepusculum* saperet. *Dubia* indè vespere lux expressè *Ovidio Crepusculum Lib. Amor. Eleg. 4.*

*Qualia sublucent fugiente crepuscula Phæbo.*

*Qualia verò?* Talia sistit ipse descriptione clarâ non minùs ac verâ *Metamorph. Fab. 12:*

*Jamq; dies exactus erat cælumq; subibat,  
Quod tu nec tenebras nec possis dicere lumen;  
Sed cum luce tamen dubiæ consinia lucis.*

*De Aurora* quidem *Ep. 14.* apud eundem ad *Linum Hypermnestra* loqui videtur:

*Sed tamen (inquit) experiar modò facta crepuscula terris,  
Ultima pars noctis primaq; lucis erat.*

*Sed*

Sed ordinem verborum turbatum aliterque legendum esse ex MS. Achillis Statii Neapolitani docet Ciosanius, qui sic restituit:

*Ultima pars lucis primaq; noctis erat.*

Cæterum Græcis Ἀγγελία Θεῶν Τιτᾶν ab Orpheo in hymnis. §.7. χρυσοθρονῶν ab Homero in hymno Veneris & alibi. ῥοδοδάκτυλῶν, passim. ἐρυθραινομένης, λαμπροφώρῶν, ἑάνηφώρῶν dicitur. Vide Gyraldum histor. Deor. Syntagm. VII. p. 355. Pudoricolor à Nevio Poëta vetustissimo in fabula Alcestidis appellatur, nec unquam non à Poëtis sub variis nominibus blandè habetur, quæ passim invenias.

Ὅρισμός constat Genere & Differentia. Pars diei est Genus, idque §.8. relativum, quale partium esse consuevit. Differentia particulâ prioritatis & quatuor causis, efficiente principali lumine Solis, minùs principali, eaq; simul materiâ in qua, & subjecto quasi quò, exhalatione, subjectò quasi quod & circumstantiâ loci, Oriente, formâ fiendi, refractione, essendi, dubiâ luce, & fine denique, diei augmento & universi ornamento, constat.

## SCEMMA I.

Aurora est diei pars prima.

Ἐξέλιγμῶν

I.

Συλλήβδην.

§. 1. Diei mensura juxta lumen Solis. Secundum horas. Indè incertum Auroræ initium. §. 2. Duo initia, unum ad horam, alterum ad aram alligatum, rejecta. Nostrum ex Macrobio positum. Metaphora Biblica hinc illustrata. §. 3. Diei naturalis & artificialis discrimen. Non naturalis sed artificialis pars Aurora. Dubium solutum, Physicè. Juridicè. Testimoniò. §. 4. Terminus Auroræ positus contra Cornel. à Lapide.

II.

Ἐπίπλεον.

Hebræi Veteres teste Scaligero de emendat. tempor. lib. 1. præter §.1. mane, meridiem, & vesperam, nullas diei partes novère. Totum verò νυχθήμερον in quatuor vigiliis distinxerunt, quarum prima e-

rat

rat à vespere, secunda à media nocte, tertia à mane, quarta à meridie. Secundùm hanc distinctionem, facile erat invenire noctis ac diei discrimina, siquidem Sol secundum præsentiam absentiamque suam, causa distinctionum erat, de quâ effectus, lumen nimirum vel intensum vel remissum, clarè attestabatur. Postquam verò per horas hæc ipsa temporis spatia metimur, quas demùm post Platonis ac Aristotelis tempora, ex umbrarum dimensione veteribus inventas esse, certum est, mensura illa incertior facta est. Et accidit inde Auroræ id, ut ipsius initium multos ceu Nili scaturigo latuerit. Sunt qui horæ spatium ante Solis ortum Auroræ concedunt.

§. 2.

Perperam. In genere enim ad certam horarum mensuram aurora circumscribi non potest. Primùm enim diversa terrestrium sphaerarum ratio certâ & eandem ubiq; originem non admittit. Deindè, non semper in eadè sphaera, in nostra verbi gratia, eadè ejus magnitudo esse potest; idq; tum ordinariè propter solè, tanquàm causam efficientem primariam, ascensu suo augmentem & descensu minuentem auroræ spatium; tum extraordinariè, propter nubem, tanquàm causam secundariam, quæ altitudine & depressione suâ auroræ natales variat. Legatur Athanas. Kircheri *Artis-magnæ L. & U. Lib. IX. p. 2. prob. 2. p. 725. Eillivecus*, uti est in *Navarr. Enchirid. cap. 25. num. 55. & seqq. Job. Lugon. disput. 20. sect. 1. ait, auroram tum esse, quando tantum diei illucescit, ut sine lucerna seu lumine artificiali possit peragi missa. Sed cur ab oculis cœcutientium Monachorum Auroræ lumen accendemus? Accuratus Macrobius I. Sat. 3. p. 249. diluculum seu auroram dicit esse cum dies dignosci incipit. Indè nobis prima diei pars. Propter hanc præminentiam præ reliquis diei partibus metaphoricè apud *Jobum c. 3. v. 9. elegantissimè palpebras aurora accipit. Sunt enim extremitates lucis matutinæ, velut illi pili extremitati palpebrarum adhærentes, qui cœteris oculorum partibus prominent & protendantur. B. Dörfch. Pentadec. Dissert. Theol. de infallib. ver. div. testim. v. 20. seqq. Dies est vel Naturalis vel Artificialis. Naturalis (Græcis ἡμερονύχλιον, Latinis nonnunquam ob usum vocis in civilibus negotiis civilis dictus) est tempus quo Sol circulum suum diurnum integrum ab ortu scil. per occasum in ortum percurrit, & ad idem ortus punctum redit. In hæc significatione diem hoc loco non sumi certum est, cum nocti tanquàm parti suæ non**

§. 3.

oppo-



opponatur. *Artificialis* (nonnullis quoque à causa & effectu naturali naturalis dictus) est tempus, quò Sol arcum suum diurnum percurrens, diem nobis fugatis tenebris advehit. Hic verò uti nocti opponitur; ita Auroram nostram tanquam primam suam partem blandè complectitur. Sed nec hoc citra dubium dici potest. Artificialis enim diei initium ex Astronomorum mensura est, quando Sol supra Horizontem corpus suum advolvitur. Ita verò ad noctem referri deberet, siquidem eò adhuc tempore Sol infra Horizontem latet. Imò nonnullis propter hanc rationem inter noctis partes Aurora numerata est. Vid. *Crusius de nocte & noct. offic. c. 3. p. 84.* Verùm si diem Physicè, non Astronomicè, dimetimur, hoc est, si lumen diurnum, continuum omninò, nec ob Solaris corporis in Horizonte præsentiam vel absentiam realiter à se discretum, pro die habemus, nocturnis *Auroram* injuriis eximere possumus. Sol enim, licet non *subjectivè*, tamen *effectivè* adest. Et cum idem Materiale per naturam, Solare nimirum lumen, *Aurora* cum die habeat, cur non idem Formale ab arbitrio nostro, aut idem nomen accipiat? Indè *Feldenus* recentissimè, licet diem artificialem per moram Solis supra Horizontem & noctem per Solis infra Horizontem latentiam definiat, Auroram tamen primam diei partem nobiscum vocat, p. 3. *Compend. Sphær. Doctr. c. 2. n. 21.* Imò quòd secundum *JCos* in capite de pœnis, id quod dicitur fieri mane vel sub Aurora, de die fieri censeatur. Plures ex illo foro testes adducit & sequitur *Everardus in Topicis c. 19, in loco à Contrariis.* Præterea quoque, fatente *Kyperò Instit. Phys. c. 12. Lib. IV. §. 2.* partes diei non Astronomicè & prorsus accuratè; sed populariter ita determinatæ sunt. Terminus ejus est exortus Sol, quando corpus suum supra Horizontem præfens sistit. Nimis enim populariter *Cornel. à Lapid. Comment. in Proverb. Salom. c. 4. v. 18.* usque ad meridiem eam extendit. §. 4.

## SCHEMA II.

Aurora principaliter oritur ab adveniente

SOLE.

Ἐξελίγμῳ

B

Συλ-

§. 1. *Causa Universalis & prima Aurora, DEUS. Aurora creata secundum Licetum. Juxta nos generali Dei concursu producta.* §. 2. *Motus Solis duplex, diurnus & periodicus. Ultriusque effectus duplex, occultus & manifestus.* §. 3. *Orientis motu diurno Solis effectus manifestus duplex. Aurora, Ros.* §. 4. *Occultus, Gallicinium & juxta alios maleficiorum, imò Angelorum malorum fuga, bonorum cantus. Nativitatis felicitas. Pontificiorum superstitio notata.*

II.

§. I.

Ad DEUM fontem omnis luminis, tanquam causam Universalem, Auroræ quoque splendorem referendum esse, haud dubium est. Hesiodus, gentilis, in *Theogonia*:

Θεία δ', (inquit) Ἡελιόν τε μέγαν, λαμπρόν τε Σελήνην  
Ἡώθ'.

*Thia parit Solem magnum, Lunamque nitentem  
Auroram.*

Nimirum quod divinâ bonitate ita statuente lucem è Sole ad mortales manare rectè putârint, Thiam ejus matrem arbitrati sunt. Cur non idem nos Christiani dicamus? Fortunius Licetus *Antiqv. Schem. c. 103. p. 225.* Auroræ creationem ex sacris literis probat. *De Aurora* (inquit) videtur egisse *Psaltes divinus alibi (Psalm. 73. v. 16.) concinens: Tuus est dies & tua est nox: tu fabricatus es Auroram & Solem. Ubi non solum contra distinguit Auroram à Sole; sed etiam Auroræ fabricam anteponit fabricationi Solis: planè consentiens historiae Moysi in prima mundi constitutione, quâ lux creata ponitur in prima die ante creationem Solis, Lunæ, ac siderum in die quarta.* Mira sententia! Auroram pro luce primigenia habet. Relinquimus id Autori suo, & DEUM non aliter ad Auroræ productionem, quam concursu suo generali, uti ad meridianum jubar concurrere, & Solem speciatim eam producere certò novimus. Uti verò cursus aut motus Solis duplex est, *Diurnus*

§. 2.

& *Periodicus*; Ita & ejus adventus duplex sit necesse est. Diurno cursu juxta motum primum per utrumque Hemisphærium supe-  
rum

rum

rum & inferum fertur, & à puncto ortus per occasum ad idem punctum intra 24. horarum spatium redit. Cursu periodico & proprio ab uno Tropicorum ad alterum devehitur. Utriusque hujus motus effectus sunt duplices; vel *Manifesti*, vel *Occulti*. Per cursum diurnum *manifestè*, præsens diem, absens noctem; per periodicum altior Ver & Æstatem, depressior Autumnum & Hiemem, causat. Occulti effectus utrobique sunt, qui ab influenza Solaris virtutis, nobis non usque quaque quoad essentiam suam cognitâ, dependent. Utrumque hunc effectum circa Auroræ tempus deprehendimus. *Manifestus* est Aurora ipsa, quæ corpus lucidissimum, in vicinia positum, nobis non potest non annunciare & de causa attestari sua. Ac idè Titanis dicunt filiam (ut ait *Boccatus 4. geneal. c. 27.*) non quia à Titano natam credant, sed ex Sole, quem sæpissimè ex nomine avi Titanum vocant. Nam ex Sole procedit illa claritas cæli, quam Auroram dicimus. Hinc & Aurora ipsa Tithonia nuncupata est. *Virg. L. VIII. Æneid. v. 384.*

§. 3.

*Te potuit lacrymis Tithonia flectere conjux.*

Præterea Roris etiam generatio effectui huic manifesto adnumerari potest. Dum enim à nocturno frigore & calore Solis, utròque remissò, vapor excipitur, in rorem circa terræ superficiem resolvitur. Hinc apud Poëtas Aurora audit *roscida*. Apud *Sil. Ital. lib. 13.*

— — — tenuemque ut roscida misit

*Lucem Aurora polo.*

Hinc etiam ex utero auroræ ros in *Psalms. 110. vers. 7.* Vid. *Comment.* *Occultus* forsan, qui præter influentias in univèrsam sublunarem orbem notari mereatur, est Gallicinium; Celebre circa hoc tempus, & prima Auroræ exsurgentis consalutatio. Indè Phœbo sacer Gallus ut ait *Paus. in prior. Eliacis*, quòd advenientem eum tam blandè excipiat. Eleganter hâc de re *Plinius Lib. X. 21.* Proximè, inquit, gloriam sentiunt & hi nostri vigiles nocturni, quos excitandis in opera mortalibus rumpendoque somno natura genuit. Norunt sidera & æternas distinguunt horas interdiu. Cantu cum Sole eunt cubitum, quartaq; castrensi vigilia ad curas laboremque revocant. Neque Solis ortum incautis patiuntur obrepere, diemque venientem nuntiant cantu, ipsum verò cantum plausu laterum. Hinc *Lucretius lib. IV. v. 647.* dicit,

§. 4.

B 2

Gallum

— Gallum noctem explaudentibus alis.

*Auroram clarâ consuetum voce vocare.*

Unde verò hoc? Ab alterato per Solem aëre id fieri probabile est. Verùm cum non Auroram tantum, sed & alias diei partes uti meridiem, mediamque noctem cantu excipiat, totumque diem naturalem in octo partes dividat, uti observavit *Cardanus Lib. X. de Subtil. p. 605.*; Ideò aliud subesse videtur, quod occultâ quâdam ratione gallum de mutatione temporis jam imminente quasi admoneat. Indè *Laurembergerus Lib. I. Euphrad. p. 51.* dubius nobiscum, motos seu impulsos (gallos circa auroram concinentes,) dicit vel occultâ quâdam vi nobis incognitâ, vel ob aëris mutationem adveniente luce. Aliud hunc effectum idque longè majus sequi creditur, quod circa gallicinium maleficia dissipentur, sagarumque conventicula dissolvantur. Id si verum est, uti pro fide historica Judicum acta militare possunt, vix à naturali sed supernaturali causa id dependere putabimus. Nisi forsan ex conscientia, lucem à maleficis actionum testem, uti à furibus, odio haberi, dixerimus. Sed aliud subesse ab eruditis judicatur. Quibusdam Leo hic & Draco infernalis unâ cum sodalitiis suis galli cantum, in morem leonis serpentisque animalis, metuere putatur. Satispiè. Sed nec satis constat de dissidio horum animalium; Vide contrariam experientiam apud *Camerarium hor: subcis. Cent. 1. 22.* Nec à leone propriè tali ad Metaphoricè sic dictum argumentari licet. In mysterio *Martinus Delrio Jesuita disquis. Mag. Lib. 6. c. 2. sect. 1. qv. 1.* ingeniosius forsan & veriùs hujus Dæmoniorum fugæ rationem constituit. Dum enim ex nocturnis sceleribus tenebrarum Dominus sibi lucrum fecit, hunc diei prænuntium alitem fugit averfaturque. Sub hoc tempus resurrectionis Dominicæ & triumphatæ potestatis suæ meminisse potest. Petrum quoque, concionante poenitentiam gallo, bolum sibi sapidissimum faucibus suis ereptum esse recordabitur. Vide ibi consentientes Patres. Imò, uti Angeli mali Auroram subterfugere dicuntur; ita sub hoc tempus Angelos bonos concinere Judæi putârunt. *Targum Hierosolymitanum Auroram Gen. 32. vocat columnam Auroræ & appropinquationem horæ Angelorum ad cantandum.* Juxta sententiam enim veterum Hebræorum, Angeli quotidie in laudem DEI canunt *קְרוּיָיוֹן* *Esa. VI.* ubi *עֲזְרוּ*

*אֶרְחוּ*

αρχον Angelum Michaellem putant fuisse, qui Gen. 32. se dimitti petit, quod advenerit tempus illud canendi, quo se tanquam præcentorem in cælo esse oporteat. B. Dorscheus l. c. Præterea ad occultos effectus felicitas, si aliqua est, nativitatis ex hoc tempore referri debet. Juxta Astrologos enim, qui in Aurora nascuntur, peculiarem sortiuntur ejus influxum, ut vegeti, vitales, robusti, ingeniosi, & ut nonnulli volunt, felices efficiantur. Hinc Pontificiorum superstitio sibi temperare non potuit, quin inter Auroræ filias Mariam Deiparam retulerint. Ita Durando in Rat. Div. Offic. apud Cornel. à Lapide, Comment. in Cant. Cantic. c. VI. ea nata dicitur d. 8. Septembr. in Sabbatho, idq; illucescente Aurora, juxta revelationem cuidam viro religioso factam. Nugæ.

### SCHEMA III.

Aurora immediatè producitur à reflectente exhalatione.

Ἐξέλιγμῳ

I.

Συλλήβδην.

§. 1. Terra à Poëtis, à nobis exhalatio socia Soli causa data. Probatum tum per insufficientiam Solis, tum per ineptitudinem aëris tam vicini, quam supra terræ umbram elevati. §. 2. Crocei coloris Auroræ causa asserta. Ex Scaligero contra Cardanum confirmata. Epitheta apud Poëtas inde illustrata. §. 3. Color hic Auroræ accidentalis. Inde remitti potest & intendi, imò mutari. Testimonium Tandleri. Aurora secundum hunc colorem meteorum emphaticum, secundum seipsam non est.

II.

Ἐπίπλεον.

Poëtæ finxerunt Auroram Titanis scil. Solis & Terræ filiam. §. 1. Sol enim generat, Terra in vaporibus suis Auroram concipit.

B 3

Nos

Nos hanc Philosophicam fabulæ rationem reddimus; vulgarem alii adducunt. *Terræ ideo dicitur filia* (inquit *Boccatius l. v.*) *quia horizontem Orientalem superans videtur intuentibus ex terra exire.* Per terram autem intelligitur globus terraqueus, quia tam aqua quam terra exhalationes emittit. Has verò focias Soli damus, in generanda Aurora, cum solus haud sufficere, nec ab alia cooperante causa adjuvari possit. Prius patet tum ex situ corporis Solaris, quod eo tempore infra Horizontem commoratur, tum ex rectitudine radiorum, quos non curvo inflexu aut circulari obliquitate, circum superficiem telluris intorquet, sed ubi potest rectos immittit. Posterius ineptitudo aëris evincit. Hic enim solus aut lumen Solis recipit reflectitque, aut vapores in se receptos vices suas præstare jubet. Aër verò est vel circa & proximè supra Horizontem, per umbram terræ ante Solis adventum occupatus; vel supra conicam terræ umbram consurgit, & semicæli compagem explet, à lumine Solis tam noctu quam interdiu illustratus. Neuter verò Auroram generare potest. Non prior, quia si purus & in se consideretur, nullam reflectendi facultatem habet. *Ubi enim medium, per quod transit visio, uniforme fuerit, & similium undiq; partium, fieri nequit ut luminaris radii vel reflectantur vel refringantur.* Continuo verò ictu rectè protendantur sine obstaculis. Nulla enim reflexio nisi à corpore densiore quam medium id per quod transit radius. Jam ubi nulla reflexio, ibi nulla quoq; radiorum congregatio: Proinde nec uniri potest id lumen, quod æquali diffusionem jam ante adfecit oculos. *Lauremberg. Amphylici propos. 1. theorem. 7.* Tale verò medium est aër, si absque vaporibus consideretur. Etenim nisi à particulis aëris (vaporibus nimirum, siquidem per aërem atmosphæram intelligit) radii solares reflecterentur ad oculos nostros, nulla pars aëris lucida nobis appareret, præterquam ea, supra quam Sol consistit; & sic Sole in parte Orientali constituto, non esset lucidus aër meridianus neq; Occidentalis. *Varen. Geogr. Gener. part. absol. L. 1. sect. 5. c. 19. prop. 34.* Nec aër supra terræ umbram collocatus id præstare valet. Hic enim, si recepto in se Solari lumine Auroram producere posset, noctu semper foret diluculum, cum nunquam iste Solis lumine destituatur. Sol enim undique & undiq; radios ex se gignit, qui rectis lineis per universum mundum sparsi ( præter spatium per terræ umbram occupatum ) aërem jux-

ta cœlumque illuminant. Nec enim credas, solem uni solùm he-  
 misphærio illustrando parem esse: Satis ille tùm lucis habet, tùm  
 tùm luminis generat, quò tota universi compages imbuatur, nisi  
 quid obstiterit. Cœterùm quòd noctu, cum nos umbra terra circumstat,  
 non usurpemus oculis splendorem aëris cœlique extra umbram, quamvis ma-  
 jorem partem prominuli nostri semicæli oppleat, ratio ex opticis petenda:  
 Nimirum habet ille rationem & similitudinem tenebrarum: Tenebræ verò  
 videri nequeunt, quum sint luminis privatio & Non-ens. Lauremb. cit. loc.  
 Ratio verò propter quam tenebras imitatur, est ejus tenuitas, quæ  
 refractionem & reflexionem radiorum tollit, sine quâ nulla res  
 videri, oculisque apprehendi potest. Nihil itaque præter vapo-  
 res in aëre ad generandam *Auroram* aptum erit. Hi enim nec  
 densiores nec subtiliores, sed medii quasi temperatique sunt, ut  
 radii in iis refringi, refracti transire, & multis hinc indè reflexi-  
 onibus ab una particula ad aliam reflecti, & sic aërem lumino-  
 sum efficere possint, Vid. *Cardan. Lib. IV. de Subtil. p. 117.* Inde §. 2.  
*croceus Auroræ* in Oriente color. Nec enim illum ab exiguo Solis  
 lumine, sed à vaporum crassitudine adipiscitur. *Scaliger contra*  
*Cardanum Exercitat. LXXX. 14. p. 312.* Parvum enim lumen à va-  
 poribus vincitur, ut faciem, quam habet claram, ostendere haud  
 possit. Quocirca, inquit iterum *Scaliger l. c.* à parvo lumine aër cum  
 haud mutetur; ut ab eo recipit aliquid splendoris, ita ei adjungit & quasi  
 admittit aliquid densitatis, quò fit ut *croceum* (lumen) videatur. Inde  
 apud Poëtas *crocea* (*Virg. L. I. Georg. v. 447.*) *Purpurea* (apud *Ovi-*  
*dium l. 2. Metam. f. 1. v. 113.* aliosque sæpè) *Rosea* (*Papin. 3. Sylv. 1.*)  
*rosearum manuum Græcis* (ῥοδοδάκτυλα) *Homero lib. 2. 7. & 17. Odyss.*)  
*rosearum bigarum* (*Virg. l. VI. Aeneid.*) *rosearum quadrigarum* (*ibid.*)  
 dicta est. Hæc verò cum ita sese habeant, nos tamen probè di- §. 3.  
 stingvendum esse putamus inter *essentialem & accidentalem auroræ for-*  
*nam.* *Essentialis* est refractum lumen in vapore. *Accidentalis* in  
 vapore, tam crasso, *croceus* color. Potest enim in subtilio-  
 re refractione fieri, ut lumen purius conspiciatur. Sic tamen se-  
 semper habente aëre, hoc ejus accidens proprium quasi auroræ  
 factum est, ut à reliquò refractò diurno lumine per hoc differat.  
 Interim quia accidens est, diversa, pro materiæ dispositione,  
 incre-

incrementa & decrementa admittit. Imò aliquando luteus hic color, nonnunquam *rutilus* in conspectum venit. Idem sentit similemque in modum contra vulgus Philosophorum distinguit *Tandlerus Disput. 5. Meteorol. probl. 2.* Ubi hoc etiam addimus, secundùm hoc primum suum lumen *Auroram* meteorum, & quidem emphaticum esse, siquidem, non minùs ac alia phasmata, ob refractionem radiorum solarium hanc figuram refert. Sed quia non lumen in vapore refractum ibique retentum, sed inde per Horizontem nostrum reflexum diffusumque pro *Aurora* propriè habendum est, idque purum lumen esse conspicitur, cujus intuitu forsàn non *roseos* sed *albos* equos *Auroræ Theocritus* attribuit in *Hyla*; ideò *Aurora* inter Meteora recenseri non debet.

## SCHEMA IV.

Auroræ lux dubia est.

Ἐξελίγμ. Θ

I.

Συλλήβδην.

§. 1. *Cur Græcis dicta ἀμφιλύκη.* §. 2. *Lucis remissio partim à Sole, partim ab exhalatione.* §. 3. *Remissio illa in luce ipsa, non in tenebris. Tenebrarum natura privativa contra Kyperum & Paracelsum probata. Paracelsi refutatio, tentata à Wendelino, ipsa refutata.* §. 4. *Remissio illa an in luce, ut substantia, an ut qualitate, b. l. perindè est. Utriusque sententiæ Autores & hujus loci argumenta recensentur.*

II.

Ἐπιπλεον.

§. I. Eleganter Græci ob hanc rationem eam ἀμφιλύκην vocant. Ita *Apollon. Arg. 2. Oppian. de Venat. lib. 3.* dixit πρώτη ὑπὸ ἀμφιλύκην sub primum crepusculum, quod tenebræ tunc fiat similes *λυκῆς*, id est, pelli lupinæ, quæ est cineritii coloris, non omninò nigra. Hinc scitè *Laurembergio Tractatio de Crepusculis* in titulo *Amphilycus* dicta

cta



Et est. Causa tùm in Sole tùm in exhalatione quæri debet. Sol, §. 2.  
 quia infra Horizontem commoratur, radios quidem suos fortis-  
 simè, respectu nostri, sursum vibrat, ut sub Auroræ tempus radi-  
 orum emissio meridianâ illuminatione non debilior sit; sed cum  
 lux illa per solam refractionem ad oculos deferatur nostros, & ob  
 situm solaris corporis ipsi radii refracti potius ascendant, quàm  
 ad latera circum superficiem terræ ferantur, indeqve à nova jam  
 refractorum radiorum refractione demum lumen multiplicetur,  
 ideò id debilius esse & quasi dubium apparere necesse  
 est. Exhalatio autem cum sub adventum Solis sit spif-  
 fior, ex sua crassitie in lumen opacitatem aliquam infert, vi-  
 resqve ejus ac splendorem infrangit. In luce igitur hujus tem- §. 3.  
 poris remissio quasi aliqua est & intensio, novaqve semper accen-  
 duntur incrementa. Sed tamen varietas illa in intensione lucis  
 ipsius, an in tenebrarum remissione consistat, quæri potest. Qui  
 tenebras pro Ente reali habent, luci positivè opposito, illi in-  
 tendi tenebras & remitti putant. Utrumqve facit *Kyperus Instit.*  
*Phys. Lib. 2. cap. 7. §. 12.* Sed fumum in his tenebris nobis vendi,  
 tenebræ ipsæ à nobis accuratius inspectæ edocebunt. *Paracel-*  
*sus lib. 3. de Meteor.* causam noctis peculiarem stellarum conditio-  
 nem esse contendit, quæ tenebras, absente Lunâ, adferant, sic ut  
 radii videri non possint. *Non secus, inquit, ac obscura nubes Solem*  
*occupans diei lucem etiam aufert, in cælo pariter peculiare tenebræ sunt,*  
*quæ statim orientem Solem vel declinantem obsuscant, ut in eis Luna sola*  
*suum lumen habeat per hujusmodi tenebras exercere.* Hæc ejus causa  
 positiva. Nec enim privativam, h. l. recessum Solis ab Horizonte  
 nostro sufficere posse putat, quia lux ejus tam est potens, ut quamvis  
 mediâ nocte sub nobis à regione sit, intermediâ terrâ, nihilominus apud nos  
 & supra terram suam reflexum daret in tantam lucem, ut cognoscere diem,  
 eòqve lumine possimus uti. Quæ sententia cum satis absurda sit, eam  
 tamen, contra mentem *Paracelsi*, interpretatione suâ ineptam ma-  
 gis & Philosopho planè indignam reddit *Wendelinus Contemplat.*  
*Physic. sect. 3. c. 22. thes. 6.* A lumine Lunæ, scil. absente, noctem  
 dependere dixerat *Paracelsus*. Id de præsentem *Wendelinus* intelli-  
 git. Indè nata ejus responsio: *Est enim, inquit, nox potius à luminis*  
*absentia, quàm præsentia, quùm tenebræ noctis luci privativè opponantur.*

C

Dein

Deinde, noctem esse videmus etiam, quando nullum Luna lumen spargit, ut in Noviluniis. Lumen Solis, per reflexionem, sine dubio, in aëre, nocte ad nos pervenire judicaverat *Paracelsus*. Id de lumine per penetrationem terræ ad nos pertingente accipit *Wendelinus*. Indè exceptio ejus: *Etiam si copiosissima est Solis lux, tanta tamen ejus potentia non est, ut opacum terræ objectum corpus penetrare possit: cum ne domuncula quidem & tugurioli undiquaq; clausi, interiora, in ipso meridie illuminare queat.* Sententiæ verò *Paracelsi* non minus ac *Kyperi* falsitas vix meliùs quàm per veram noctis picturam ostendi potest. Talis verò ea est. Terra, quia non diaphanum (pellucidum) sed densum corpus est, opposita Soli umbram spargit, sicuti omnia corpora densa, quorum crassities excurrens lumen ad partes obversas pertingere impedit. Hæc terrestris globi umbra nihil est aliud quàm solaris luminis privatio, quam generaliter tenebras, specialiter noctem appellamus. Quid igitur nox? Absentia lucis & privatio. Ubi augmenta Auroræ? In luce, quia in privatione & in tenebris nulla dari possunt. Hic ut augmenta specialius examinemus, ea quæ in luce tanquam qualitate, per intensiorem, aut ut substantia corporea, per novam accessionem materiæ, fieri doceamus, opus non est. Sufficit nobis, quod lux Auroræ sit dubia, novaque subinde augmenta acquirat. Lux verò illa, qualitas an corpus sit, hoc loco nobis perindè est. Pro qualitate autem eam habet *Aristoteles 2. de Anim. 7.* omnisque Peripateticorum exercitus. Et communem hanc sententiam hoc quidem loco momentanea Auroræ lucis motio juvat. Ob quam velocitatem, *Hieropsaltes Psalm. 139. v. 9.* ei alas, & Poëtæ (uti supra vidimus) bigas imò quadrigas attribuunt. Corpus verò esse *Epicurus, Democritus, Empedocles*, imò & ipse *Plato*, & inter recentiores *Gassendus in Animadvers. Lib. X. Laërtii de Physiologia Epicuri, cap. de Colore & Luce*, & recentissimus *Kenelmus Eqves Digbaus, Anglus, in Demonstrat. immortalit. animæ rationalis, tract. I. cap. 6. seqq.* putat. Ad hanc verò sententiam probandam, quod ex Auroræ luce lucrari possint, est refractio, quòd intermedius aër, vapore repletus, transitum quidem luci, sed non omninò liberum, quæ corporum mora esse consuevit, præbet. Indè expandi dicitur  
ipfi

ipsi Joëli Propheta cap. 2. Sed, uti diximus, hæc specialiora sunt, quàm ut hîc decidi debeant.

## SCEMMA V.

Aurora fulget ex Oriente.

Ἐξελιγμὸς

I.

Συλλήβδην.

*Ratio hujus localis apparentiæ, & differentiæ tum à crepusculo, tum ab Aurora Borea. Hujus historia è Gassendo & generatio tradita.*

II.

Ἐπίπλεον.

Ratio tam clara est, ut ipsâ Auroræ luce fulgidior sit. Quia enim causa in Oriente est, ideò effectum non minus ibi esse, & exindè aliò protendi necesse est. Distingvitur autem per hanc loci circumstantiam Ordinariè à Crepusculo, ultimâ diei parte, quando post recessum Solis ab Horizonte nostro lucem creperam ab Occidente conspiciamus. Extraordinariè, ab Aurora Borea, meteorò & mirabilis speciei fulgore, qui aliquando nocte intempestâ & silente etiam Luna totum septentrionalem tractum ita occupat, ut claram Auroram mentiatur. Vide historiam talis Meteorî Anno M DC XXI. XII. Septembr. in Gallia conspecti, apud Gassend. Animadv. in Lib. X. Laërtii de Meteorolog. Epicuri cap. de Parallelis &c. An hoc meteorum eòdem modò quo Aurora fiat, nondum certum est. Dubius cum sit Gassendus, inter alias tamen rationes hanc etiam recenset; prodire aliquando è Terra vapores ejusmodi, ut longè ultra Atmosphæræ convexitatem erumpentes, ad illam usque coni umbræ terrenæ regionem pertingant, quam refracti radii Solares sic diluunt, ut si qui vapores in illam incurrerint, possint illustrati his radiis, Auroræ speciem exhibere. Quod si verum uti verisimile est, in modo non multum differunt.

## SCHEMA VI.

Aurora fit in augmentum diei & universi ornamentum,

Ἐξέλιγμα

I.

Συλλήβδην.

§. 1. *Finis duplex, naturalis & moralis. Naturalis iterum duplex. Ejus ratio, & ex Augustino illustratio. §. 2. Moralis ex Cornelio à Lapide & Erasmo per prosopopœiam representatio.*

II.

Ἐπιπλεον.

- §. 1. *Finis Auroræ vel Naturalis vel Moralis est. Naturalem jam expressimus. Nimirum noluit Sapientissimus Creator diem precipitare, sed sensim ad nos, gratâqve vicissitudine advehere, sic tamen, ut, ante Solis adventum, lumine jam frui possimus. Inde ornatus Universi. De perfectè & imperfectè mixtis eleganter in mundo coaptatis, Augustinus ep. 5. & 18. Ut carmen non semper constat syllabis longis, sed longis atqve brevibus consinnè inter se coaptatis: Ita mundus etiam non simplicibus tantum & ex simplicibus perfectè mixtis constituitur, sed & imperfectè mixtorum cum reliquis coordinatione perficitur. Idem forsan ad lumen diurnum non semper intensum, sed remissum simul & jucundâ vicissitudine temperatum, non malè quis applicuerit. Moralis finis est, excitati per*
- §. 2. *Auroram DEO pro superatis nocturnis periculis gratias agamus, diurnasqve operas læti auspicemur. Quo de fine Cornelius à Lapide loco suprâ citato: Dum manè Auroram, inquit, & solem nascentem & crescentem intuemur, cogitemus nos totidem passibus tanquam veloci motu ad apicem virtutis eniti & contendere debere. Sol enim oriens in Aurora tacitè nos salutans, exclamat: Surgite mortales, somnum excutite, nox transiit, dies illucescit, ite ad operas & labores honestos, artes, virtutem exercete, crescite in sapientia & sanctitate. En ego vobis iter præeo, inò facem præfero, & præluceo, me seqvimini, me imitamini. Similem prosopopœiam fingit Erasmus Colloq. Dilucul. p. 460. Quoties aureus ille splendor, inquit, illustrat cubiculum tuum, nonne*

ne

nè videtur exprobrare dormienti, Stulte, quid optimam vitæ tuæ partem gaudes perdere? Non in hoc luceo ut abditi dormiatis; sed ut rebus honestissimis invigiletis. Nemo lucernam accendit ut dormiat, sed ut aliquid operis agat: & ad hanc lucernam omnium pulcherrimam nihil aliud quàm stertis? Quod sibi Philypni studiosi præcipuè dictum putent. Quàm enim seriis ipsorum studiis Aurora faveat, adeò notum est, ut favor ejus in proverbium abierit; quod hoc locò tanquam suscitabulum vigilantia, ultimò omnium auribus appendit:

(Mantissa.)

Aurora Musis Amica.

Ἐξέλιγμῶ

I,

Συλλήβδην.

Aurora ad omne opus conficiendum aptissima, ex testimonio Hesiodi. Ad sapientiam maximè, ex effato cœlestis sapientia. Ex rationibus & testimoniis Erasmi & Lotichii. Ex exemplo Demosthenis & Ænigmatate Reusneri.

II,

Ἐπίπλεον.

Quantum ad omne opus conficiendum Aurora conferat, gravibus verbis expresit Hesiodus. lib. 2. ἔργων p. 127.

Ἡὼς γὰρ, αἶτ, τ' ἔργοιο τρίτην ἀπομείρεται αἴσαν,

Ἡὼς τοι προφέρει μὲν ὄδῶν, προφέρει δὲ καὶ ἔργων.

(hunc versum commendat Theologis & aulis B. Philippus ad Cameracens. in Ep.)

Ἡὼς, ἥτε φανῆσαι πολέας ἐπέβησε κελύθε

Ἀνθρώπων.

Aurora enim operis tertiam sortitur partem.

Aurora tibi promovet viam, promovet laborem.

Aurora, quæ apparens multos ingredi fecit viam,

Homines.

Sed ad sapientiam omnium maximè lucranda Aurora facit. Inde tanti passim à Poëtis habita est. Imò apud Salomonem cœlestis sapientia ipsa de se: Qui mane, inquit, vigilaverint ad me, invenient me.

C 3

Quod

Quod si enim tota vita hominis vigilia est, uti rectè eam vocavit  
Plinius in *Prefat. ad Vespas.* adolescente die, h. e. sub Auroram, so-  
mnus maximè excuti debet ab iis, qui benè vivunt aut sapientiæ  
student. Eleganter ac verè Erasmus in *Colloq. Diluculum.* p. 459.  
*Ad sapientiam parandam, nulla diei pars utilior, quàm diluculum, cum Sol  
novus exoriens vigorem & alacritatem adfert rebus omnibus, discutitq; nebu-  
las è ventriculo exhalari consuetas, quæ mentis domicilium solent obnubilare.*  
Easde causas poeticò stilò affecutus est Petrus Lotichius L. 2. *Carm.* p. 171.

*Pandite Pegasides, cur hujus origo liquoris  
(ex fonte Hyppocrene)*

*Dicitur Aurora Pegasus ales equus?*

*Tempus (ait Cl'o) matris sub Memnonis ortum  
Aoniis gratum vatibus esse solet.*

*Tunc vigor intus agit major, tunc pectora cælo,  
Ingeniis primâ luce favente, calent.*

*Inde fluunt sacri latices, studioq; perennes  
Fons matutino fundit apertus aquas.*

*Cur tamen acer equus radiantibus additus astris?*

*Et quæ suavit aquas ungula, clara micat?*

*Conspicui fulgent (dixit Dea) sideris instar,*

*Ingeniosa mori quos monumenta vetant.*

Expertus id est Demosthenes; cujus vigiliæ cui non auditæ sunt?  
Dolere se aiebat, si quando opificum antelucanâ victus esset indu-  
striâ. Cic. in 4. *Tusc.* In eandem rem Nicolaus Reusnerus apud Job. Lau-  
terbachium in *Ænigmatibus* p. 91. eleganter ex nomine:

*Quod Musis Aurora vigil sit semper amica,*

*Quod sine ventre eadem recreet aura levis,*

*Nil mirum est; mens hinc viget ingeniumq; Poëta,*

*Auræ at Aurora plus juvat aura tamen.*

*Quisquis amat Musas, Aurora diligat auram*

*Pervigil: hæc Musis culta sit ara sacris.*

*Aurora ô rora roris cælestis amores.*

*Cauda-caput absit, uror amore Tui!*

In quo voto ipse finio, & Solem justitiæ, Servatorem nostrum, Au-  
roræ primitiisq; studiorum meorum faventem apprecor!

MISCEL-

## MISCELLANEA.

1. *Normæ illæ rectitudinis in argumentando, experientia, principia, intellectus consequentia, sunt reverà vox divina.*  
B. Philippus ad Johannem Camerarium in Dedicat.  
Dialect.
2. *Accuratiùs, à DEO multa fieri, quàm DEUM multa facere, non posse, dicis.*
3. *Datur duplex & diversa Ethica veritas.*
4. *Origo nobilium familiarum non semper ab origine nominis petenda est. Probat id Illustris RECHENBERGIORUM familia, Silesij Martis fortunata propago. In praelio, propè Lignizium A.M. CC. XLI. aut, ut alii volunt, XLIII. cum Tartaris sub Heinricho Pio Duce commissò, multi ex nobilissima Haugvitziorum gente occubuerant. Duo superstites mansere. Unus Haugvitziam gentem in suo transplantavit nomine; alter, Johannes dictus, Rechenbergiorum familiae initium dedit. Tartari enim cum occupassent montem aliquem, jussus ille à Principe vindicare montem, victor tandem hoc nomen in posteritatem suam, jam antè ob Haugvitziorum sanguinem nobilissimam, intulit.*
5. *De ambitiosissimis Turcarum Imperatorum titulis, se Imperatorum ter maximos & c. appellantibus, ita Bodinus Lib. I. de Republ. c. 9. circa finem: Hæc appellatio ab Imperatoribus Constantinopoleos unà cum Imperio translata videtur. Nam illorum stemmata quadruplici B. constant; quibus hæc verba significantur:  
ΒΑΣΙΛΕΥΣ. ΒΑΣΙΛΕΩΝ. ΒΑΣΙΛΕΥΩΝ. ΒΑΣΙΛΕΥΟΥΣΙ.*
6. *Olor non est animal amphibium. Indè Gramondus de Luthero non sine acumine, sed nec sine ignorantia L.III. Histor.*

stor. p. 178. Ab Husso, inquit, Lutherani fatidicâ voce  
prænunciatum velut à DEO jactant Lutherum, nescio  
unde ducto ab olore augurio, nisi quòd olor nigrâ intus  
carne, pelle extimâ albus est, quod probè hereticis con-  
venit passim hypocritis. Olor amphibium animal est,  
utriq; elemento æquè debitum, qualis Lutherò vita fuit,  
primum Catholico Romano, & inter Catholicos Mona-  
cho, postmodùm Apostata & Heretico.

7. *Ænigma* :

*Nil sum præsentis quàm pura absentia Solis;  
At qui Sol præsens me tamen ipse facit;  
Et certum lucis mortalibus indico tempus,  
Quale nequit Titan ipse notare vagus.  
Quid hoc? Responde.*

---

*In Auroram Starckianam.*

**P**urpureas Aurora fores cum pandit ab ortu,  
Dulce procul Phœbi quis jubar esse putat?  
Vidimus ambrosium Juvenis doctumq; ruborem:  
Auguror, at plenum mox dabit ille diem.

*Boni ominis & Amoris sui ergà politissimum  
Dn. Respondentem contestandi causâ  
faciebat*

**FRID. RAPPOLT,**  
Pœf. Prof. Publ.

**F I N I S.**